



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

X. Baptizare cui fas in necessitate?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

QVÆSTIO X.

Baptizare cui fas in necessitate?

XII. ANTICHRISTIANISMVS.

CALVINVS negat fas vlli, nisi Ordinario. Nouum hoc, eiusque proprium commentum est. Vide *Luthero-cal. p. 3. q. 22.*

CHRISTVS. Ego contrà affirmo, 1. Quia *Mat. 28. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos:* at omnes tenentur etiam in articulo necessitatis Docere: quid n̄ & baptizare?

2. *Piè fecerunt, Act. 18. docendo Apollinem Aquila & Priscilla par coniugum.*

3. Deinde, *Act. 8. Philippus solum Diaconus baptizauit eunuchum: Ananias, Act. 9. Paulum laicus. Petrus, Act. 10. iussit baptizari à fratribus laicis Cornelium eiusque familiam.*

4. Ipso Pentecostes die baptizata sunt 3000. hominum; quod Apostoli soli facere nequiverint; iuuerint LXXII. discipuli, cum adhuc laici.

5. *Sephora, Exo. 4. placuit Deo, quod in necessitate filium circumciderit, etiam coram Moysè, per id à morte seruato. Quanto gratius mihi fiet, seruata per baptismum in periculo subitaneum animà, pro qua mortuus sum?*

QVÆSTIO XI.

Sintne baptizandi infantes?

XII. ANTICHRISTIANISMVS.

ANABAPTISTÆ negant ante XXX. annum baptizari oportere. Itemque Ministri Transyluaniæ & subobscurè Erasmus.

CHRISTVS. Ego de omni ætatis gradu dixi, *Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Dei.*

Atque singulatim de Infantibus, *Luc. 18. Sinite paruulos ad me venire, talium enim est regnum cælorum. Et afferebant ad eum Infantes.* Ideo ipsos arcè tum amplexatus, & benedixi, notante id *Marco.*

2. Deinde cum integras Apostoli familias baptizauerunt, in ijs & paruulos fuisse quis negarit? *Vt Act. 16. Lydiæ domus, & Custodis carceris, & 1. Cor. 1. Stephanæ.*

3. Demum typus ita præmonstrauit: nam Circumcisio data infantibus est: at *Col. 2. ea dicitur baptismus quidam, Quò rectius Ecclesia definiuit sub anathemate, ita fieri oportere.*

QVÆSTIO XII.

Num qua Fides in pædobaptismo infantibus necessaria?

XIII. ANTICHRISTIANISMVS.

LUTHERANI Infantes quidem esse baptizandos; & Aut fidem in eis non requiri: Aut ipsos habere fidem, id est. motus nouos & sanctos, inel nantes ad fidem, & c.

CALVINISTÆ contrà: Infantes non credere: recte baptizari tamen; quod antè sanctificati sint, & Electi, in promissione Abraham facta. Vide *Luthero-cal. p. 3. q. 24.*

CHRISTVS. 1. Tametsi infantes actualem habere fidem non possint; vt quæ cognitione intellectus indigeat; Nec motus nouos fidei similes persentiscant: Non tamen iustificantur sine vlla fide.